(22) 31

Priusquam ad Disputationem meam accedas, Rev.de Pater, restat
scrupulus quidam cuius Te praemonitum in tempore volui; Is est
uti, quod publicorum Ludorum spectatores solent, domo ne exeas nisi
probè instructis loculis; neque credas in huius quoque spectaculi
subsellia quemquam admitti, nisi mediantibus illis. Facile concipis
quò tendam. sin satis assequeris, accipe rem clarius. Praesidi
pro praestita opera statim à Disputatione annumerari solent
duae dimidiae Rosae nobiles, sive una integra, utrum malis:
Pedello Academiae pro affigendis Thesibus, introducendis
amicis, Professoribus etc. ut minimum Dalerus. Hae sunt -
impensae publicae, de quibus inquam statim ipso die Disputationis
cogitandum est. Itaque rogatum te cupio ut semel in memoriam
revocasse sufficiat, nequid videlicet aliud cum incommodo -
meo statuas. Nam de loculis quidem meis, valere eos -
sustinendis hujusmodi colaphis quaeso in animum ne inducas.
et sanè si valeant jam Sc.ti ad leges refugimus, quibus
monemur Interesse nostra potius nos solvere, quam solutum
repetere. Porro, quandoquidem eo ipso tempore valedicendum
familiae suae erit, ancillas praeterea nostras Liberalitati tuae
commendatas cupio. De impensis circa Typographiam
Thesium factis alias agemus latius. Vale Reverende
Pater vale, et me ama qui sum

Quaeso revocetur Sorori in memoriam de Brachialibus linteis [?] quib. summopere indigeo.

Filius Tibi obseq.tissimus
Constantinus.

Leyd. 8o Id. Quintilis. CIↃ IↃC XVII [?].

Aen Mijn Heere
Mijn Heere den Secrett.
Huygens,
In
ſ'Gravenhaghe.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 22
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/31